



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

Crombach, Hermann

Coloniæ, 1645

Praxis breuissima piè celebrandi, & co[m]municandi tum ante, tu[m] post
Missam, & Co[m]munione[m] vtilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14591

*Quidquid vident Laici vobis displicere,
 Dicunt procul dubio sibi non licere:
 Quidquid vos in opere vident adimplere,
 Credunt esse licitum, & culpâ carere.*

*Cum Pastores ouium sitis constituti,
 Non estote desides, sicut canes muti:
 Vobis non deficient latratus acuti,
 Lupus rapax inuidet ouium saluti.*

Addamus Praxim ipsam celebrandi,
 quam seruari solitus postea typis seorsim
 excusam etiam communicaturis accom-
 modauit.

P R A X I S B R E V I S S I M A
 piè Celebrandi & Communicandi,
 pro Sacerdotibus & Laicis:

*Tum ante, tum post Missam & Commun.
 utilis.*

Obserua hîc Actus præcipuarum
 virtutum.

Adorationis & Grat. Act.

O Dulcissime Saluator, Christe Iesv,
 qui ex nimia charitate nos miserè
 perditos redemisti pretio Sanguinis tui:

Et

Et in huius Amoris tui memoriam, necnon in pignus futuræ gloriæ, tam admirabili Potentia, Sapientia & Bonitate dedisti nobis in cibum & potum ipsum Corpus & Sanguinem tuum: Denique ad hæc diuina Myſteria, me viliffimum peccatorem in numerum tuorum [*Sacerdotum*] Seruorum tua ineffabili clementia vocare dignatus es.

Adoro te ex toto corde, & gratias tibi ago ex intimis visceribus animæ meæ, pro tam immensis beneficijs tuis; & affectus omnium Electorum tuorum mihi medullitus opto, vt placere tibi possim in hoc opere, quod facturus sum. (vel iam feci.)

Contritionis.

Sed heu me miserum, qui hæctenus tam indignè vocatione mea vixi, & toties, & tam grauitè te DEVM meum offendi peccatis meis (præsertim his N...) Sed nunc de ijs, *Doleo* ex intimo corde meo, ob Amorem tui super omnia: & deinceps Tibi soli seruire, placere, & adhærere propono.

Puræ Intentionis.

Proindeq; nunc accedens ad Mensam
Con-

Conuiuij tui, ex omni affectu cordis mei
Tibi [*hoc Sacrificium, Missæ*] dignissimam
hostiam Corporis & Sanguinis tui, quam
tu ipse semel pro nobis in Ara Crucis ob-
tulisti; offero ad laudem & gloriam æternæ
Maiestatis tuæ; In memoriam sacratissi-
mæ Incarnationis, Vitæ, Passionis ac Mor-
tis tuæ.

In gratiarum actionem pro omnibus
donis & beneficijs, toti cœtui Electorum,
& mihi indignissimo peccatori hucusque
præstitis: vel vnquam præstandis.

Pro salute quoque Fidelium Viro-
rum N... Et solatio Defunctorum N...

Et vtinam ex omni affectu, feruore &
desiderio Amicorum tuorum, seu iam re-
gnantium in cœlis, vel adhuc militantium
in terris, hoc tam grande tuæ pietatis o-
pus peragere possem. (*vel potuiss. m.*)

Fidei.

Corde siquidem *Credo*, mi IESV, & ore
confiteor, quia Pater æternus, DEVS sei-
pso summè beatus, potens, perfectus, &
nullius egens, secundum infinitam mise-
ricordiam suam sic dilexit Mundum, vt
Te Filium suum Vnigenitum nobis daret
Saluatorem. Cre-

Credo quoque, quod Tu ipse Patri æqualis per omnia, ex vi immensæ charitatis tuæ de sinu Patris descendisti in uterum Virginis, & propter nos homines HOMO FACTVS ES. Et quod ex amore nostri hoc Sacramentum in vltima Cœna instituens, verum Corpus & Sanguinem tuum, id est, Te ipsum nobis ad manducandum dedisti. Et denique Patri tuo factus obediens vsque ad mortem, Temetipsum pro nobis Hostiam in Ara Crucis obtulisti.

Spei.

Ideoq; *Spero* in te, magna fiducia venio ad te, ô Domine, qui nostri causa tam mira facere; & tam dira pati voluisti. Quid enim negabis, qui sic amasti, vt teipsum dares?

Amoris.

Amo Te quoque, ô bone IESV, ex tota virtute cordis mei, & semper deinceps, & in æternum amabo, si tu dederis.

Oblationis & Resignationis sui.

Sed quid retribuam tibi, Domine, pro tanto munere, & pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Ecce, me ipsum totum, Corpus,

pus, Animam, & omnia offero in omne
beneplacitum benignissimæ vountatis
tuæ.

*Humilitatis, & Vnionis cum meritis
Christi.*

Verùm quid habeo, quod non accepe-
rim? Quid vilis creatura, vermis terræ,
miser peccator, pauper & seruus inutilis
præstare poterit DEO, Creatori ac Domi-
no suo? Tu ipse potiùs, ô Domine, vtpote
Aduocatus & Mediator meus, diues in
meritis & miserationibus, suscipe causam
meam.

Et ex thesauro immense charitatis tuæ
fer opem inopiæ meæ: & pretium Sangui-
nis tui, omniumque meritorum tuorum
repræsenta æterno Patri tuo; & hinc sup-
ple omnem defectum meum, præcipuè
huius meæ, heu, nimis modicæ & imper-
fectæ præparationis, qua ad hæc SS. my-
steria venio, vt sic Ei per Te placeat obse-
quium indignissimæ seruitutis meæ.

Postulationis.

Fac etiam, ô Bone IESV, per omnes mi-
serationes tuas, vt hoc tremendum My-
sterium & admirabile donum charitatis
tuæ, debitâ semper Fide, Reuerentiâ &

B

Gra-

Gratitudine prosequar: idq; puro & ardenti corde nunc & semper recipiam. Statum hunc quoque meum N. ad quem me ex singulari gratia vocare dignatus es, Charitate, Castitate, Humilitate, Mansuetudine, Patientia, Sobrietate, &c. Moribusq; tibi placitis, & [*sacerdote*] fidei seruo tuo dignis excolere studeam. Idq; ut seruitus mea magis tibi placeat: Ad maiorem gloriam tuam, Ecclesiæ utilitatem, & propriam proximiq; salutem.

Abnegationis sui & Vnionis cum Deo.

Vnde tandem supplex rogo, vt per virtutem Corporis & Sanguinis tui, abstrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxijs affectibus N... qui gustum ac fructum huius Sacramenti impediunt, & intimè tibi vnias & incorpores, vt gustem quàm suauis sis, Domine, & vnus tecum efficiar spiritus: vt tu in me, & ego in te maneam, adeoq; nihil sit, quod me vnquam separare valeat à te. Nam tibi adherere mihi bonum est, &c. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? ô pars mea Deus in æternum!

CA-